



VIET-CHI POST XXIV

www.vovietjournal.org

IN MARI OCEANO

Magistri Phan-Hoang epistularum series

Trời dài đất rộng, đi thật, sống thật, ghi vội, gửi về...

Cánh Thư Phan-Hoàng
ĐẦU SÓNG NGỌN GIÓ

Thư Số 12: Thăm Đền Tsurugaoka

Epistula duodecima

DE EXCURSIONE AD AEDEM SACRAM SHINTI SECTATORUM TSURUGAOKAE

EPISTULA XII

(Pars secunda epistulae XI)

Aedes sacra Tsurugaokana in lata planitie posita est. In saeculo XII a conditore Shogunati Kamkurani, ut colerent Hachiman, deum tam potentem quam belli, aedificata fuit. Haec aedes inter tres Iaponicas clarissimas aedes annumeratur. Hoc loco, autem multa amoena mirabiliaque sunt: in hortis aedes parvas, amplam ianuam *torii*, iter ad telorum coniectionem aptum, parvum lacum *Genpe*, multos loculos ubi cauponulae ambulatoriae consistunt, ita ut pueruli puberesque Iaponica fercula degustent magno cum gaudio, invenes.

Homines aliqui me invitaverunt ad sake bibendum. Homines et horti peramabiles sunt

Aedes Hachimanis mirabilis magnitudine, magnificentiaque est, sacrorum solemnitate, infinita fidelium multitudine deum precibus secretis invocantium. Omnes laeti placidique videntur. Consciine sunt se deum belli orare? Mea sententia, plerique Iaponiensium de detrimento quod post secundum totius mundi bellum sibi accedit consciii sunt; multi docti, quos hoc loco novi, magno cum metu de bello quod fieri potest cum Sina loquuntur.

Cum aspicio ad hanc splendidam aedem sacram et fideles tam submissee supplicantes considero, ipse mecum spero eos rogare a deo Hachimano donet hominibus felicitatem pacemque et eos liberet a bello. Ipse puto belli deum, deum pacis adiuturum esse. De pace prospere collocuturus acturusque es, praesenti sclopetulo.

Dum aedem sacram inspicio, laetissimus sum. Nunc acrius animi mei motus quam mea studia de Shintoismo attendo. Tres peregrinatores appropinquant. In manibus itinerarium habent. Veloci oculo percurrunt paginam, deinde, admiratione adfecti, oculos ad templum convertunt, stant, ut imagines

photographicas capiant, librum volvunt, et ad proximam aedem sacra intendunt. Qua re delector. E funda vestis machinam photographicam digiti educo et eorum imaginem photographicam, imaginem photographicam capientes, capio. Pulchra puella, quae prope me stat, cum me ad hoc intentum videt, facere non potest quin subrideat. Occasionem arripio et rogo, machinam praebens, ut meas imagines photographicas apud aedem sacram capiat. Digito parvum pulsantem meae Sony demonstro. Puella, verecundior, inscite machinam sumit, pulsantem calcat. Intellegit autem partem posticam machinae ad me spectare, hac de re lenticularia vitra ad eam spectare. Non semel mihi hoc evenerat...
(secutura epistula XIII)

Charles Phan-Hoang, mense Ianuario, anno MMIX

